

J. K. H. 177  
FK 133, 19

II f  
1143

*De scieffre et vita solitaria*

X 23A 6837

SECUNDVM DEI O. M. GRATIAM ET FAVOREM,  
SVMME REVERENDI ATQVE EXCELLENTISSIMI  
PRAESVLIS,  
**PROCERVM PARITER, PATRVM,  
AC PATRONORVM**

OMNIS ORDINIS.

OMNIQUE CVRA ET RELIGIONE COLENDORVM,  
INDVLGENTIAM, FACILITATEM, AVDIENDIQVE STVDIVM,  
DISCIPVLI QVIDAM OPTIMAE INDOLIS AC SPEI,  
DILIGENTIAE SVAE, PERORANDO, SPECIMINA  
QUALIACVNQVE QVOTMENSIBVS, VEL QVAN-  
DOCVNQVE FIERI POSSIT,  
PVBLICE AC MEMORITER EDITVRI,  
HAC TABVLA  
SIBI REVERENTER AC SVBMISSÆ EXPETVNT,  
DEPRECATORE

**M. SAMVELE MOLLERO, G. F. R.**

FREIBERG AE,

Typis CHRISTOPHORI MATTHAEI



**T**ametsi quidem ea lege atque conditione hominem esse natum existimat **Sā** pientes fere omnes, ut vivat cum hominibus, quoniam hac ratione, vel suæ ipsius, vel aliorum etiam infirmati & que ac necessitatí quam optime culturū videatur: tamen, si rem accuratiū tecum perpendas, non paucos dari videas, qui, si vel istud natura præceptum non improbat, longe ibi melius secum agi existimat, ubi a strepitu remoti, res sibi suas habere, solique agere valent. Alios enim ita sāpē nascenti fore formavit, ut quadam sibi insita cupiditate solitudinem appetant; alios, ut eam sequantur, ipsius, quem meditantur, laboris adducit ratio; alios ab his, quibuscum degere solebant, vel ingratis ipsa fortuna segregat; alii, qui licentius, ac sine arbitris, sibi, genioque suo, indulgere velint, loca, quæ magis ab oculis remota sint, querunt cupidissime; alii religione quadam obstricti, quasi necessario ab frequentia abhorrent; ac aliis dēmum quandam vita & tasque sua, velut rude, post certamina continua bene ac fideliter exacta, merito suo donandis, vacacionem quandoque impertuntur. Vitam ejusmodi silentium, itemque secretum, quietem, ac otium luculentum ille ac pernecessarius appellat *Historicus*, Tacitus: istam, quæ cum multis in continua exercitatione vivitur, Promtum dicit *Tertullianus Cap. V. de Pallio*; hanc secessum, qua voce tam locutus, ad quem declinatur, quam ipsa declinatio, per quam otium queritur, significari solet. De qua igitur re dicere nunc fert animus; sed cum non omnes ex eadem causa & instituto ejusmodi secessum sectentur, nec unum omnes finem spectent, inde potissimum quare possit, quotuplex ille esse videatur? Alium itaque *Temporarium* statuisse, aliumque *Perpetuum* licitum fore existimo: quod, prout studium, negotia, vires, occasio, tempus, arque ipsa cupiditate produnt, ita etiam consilia ibi manendi, attemperantur. Hinc iste primo haud temere *Religiosus* ponit posse, quem optimus ac placidissimus Servator noster constituit, & commendat oratōris, Matth. VI. c. 6. eosdem ad ταῦτα, ablegans, ubi, nemine interstrepte ac interpellante, hoc cultu, qui Deo, non tam ambitione apparatu, quam sanctitate ac innocentia mentis, ac manuum, perfolvendus est, bene defungi conceditur. Et quid beatius, quo, quidque melius eo secreto esse possit? ubi, praesente ipso Dei Numinis, quo magis sensus cogitationesque ab humanis & caducis rebus averni coarctantur, ipse liberius se librat moverque spiritus: ubi, non sine voluptate celestissima sermones Deum inter ac homines ceduntur familiariter: ubi, qui audit, qui vocat, amicissime uniuertur, alter pollicetur & confert benignissime, alterque collata apprehendit, & sua facit: ubi cœlum & terra, tam egregie, sine homuncione, qui illudere audiat, conspirant, seque mutuo amplectuntur. Non Numam hic allegabo, paganum fanaticum, quicicum, quem medium ex opaca specie sōns perenni rigabat aqua, tanquam ad congresum Dea Aegeria se ingerens, petebat sepiissime: non Scipionem, cui Africano, propter virtutem suam, nomen factum est, qui, ex quo togam virilem sumserat, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quin in Capitolium ieret, ingressusque adēm considereret, & plerumque tempus solus in secreto ibi tereret, Vid. *Liv. L. 21. XXXVI. 19.* Sed Christum ipsum, Dominum spectandum esse nostrum puto, qui pas- sim, sed maxime in ista oliveti solitudine, intensissime, cumque fructu nostro summo, precatus est, aliosque item, qui Magistrō hoc rite pieque Deum colere docti sunt quamplurimos. Salutaris, Deoque gratissimus ejusmodi secessus est; pestilentissimus contra ille, qui Voluptuosus dicitur, in quo illi, qui nunquam alias sincere officium fecerunt, aut, si quid, vel publici, vel privati operis recte curarunt, & non tam conscientia, quam fama confulteri, labores suscepérunt, omnia sibi, ab eorum, quos verebantur, conspe- ctu remoti, indulgent licentius, ac tantum non luxuria, delicate ac molliter vivendo, diffluunt. Faciunt ad hanc rem ruris hortorumque amenitates ac illecebraz; fecerunt quondam balnea, eo turpia magis, quo intentione libidine, in ea promiscue lavandi licentia animi & corpora incaluerunt, ab Severo tandem prohibita; itemque insula sic nata, ut facile omnium voluptatum proventum non modo, sed tacita etiam solitudine homines allicerent lascivos, & pascerent. *Caprea* erant, antea Neapolitanorum, post Pithecius permutatione, Auguſti *xixua*, qui splendide, ut Strabo L. VI, refert, ibi adificavit: quique cum in conspectu suo remissius agere, epulari, & jocari ephebos vellet, alios, non tam remissionis, quam voluptatis appetentiores, in vicinam Capreis insulam, quam *Απεργίστολη*, vel nihil agentium urbem, a desidia sece- denti,

dentium illuc e comitatu suo, dicebat, abire passus est. Sveton. in V. Aug. 98. Sed, in eadem Caprearum insula, qua posthac, omni reipublice ac honesti cura abjecta, male ac libidinote patravit per septem illos, quos ibi; Plutarcho, de Exilio p. 534, referente, exegit annos, Tiberius, utinam non tam accurate omnia iste annotassest. Autem quod tanta criminis & dedecora, non cognovisse, sed ignorasse praestabat. Tertium inde secessum istum *Laboriosum* facimus, ubi, sub specie ac titulo solitudinis, ardua saepe negotia, quaeque cum pluribus communicari nequeunt, & desecatum, intentumque sibi animum poseunt, expedituntur facilius. Sunt, qui Principum obseruent, enuncientque, tam consilia, quam actiones; saepe etiam proprius adflat proditor, quem longius abesse arbitrentur: interpellantur ipsi tum maxime, cum minus velint; adeutur, cum soli esse cupiant: hinc ut soli esse possint, nec intemperativis salutationibus pateant, in sacrario quodam quasi reconcedunt. Idcirco si quando secreto aliquid, aut sine interpolatione agere propositusset Augustus, era illi locus in edito singularis, quem *Syracusas & Τερρόπον* vocabat: hoc transibat, aut in aliquibus libertorum suburbanis, aeger autem in domo Maeenatis cubabat. Sveton. c. 72. Nec principes modo, sed & corum amici, si penitus res reputandae sint, loca arcana querunt, ut bene ibi sua maturent consilia: idem & omnis generis eruditii agunt, ipsas imitati Musas, quae montium in primis juvent silentia. *Secretum enim,* inquit Quintilianus L. X Inst. c. 3, *arque liberum arbitris locum, & quam altissimum silentium scribentibus maxime conuenire, nemo dubita verit.* Ita Demosthenes, aliquid ex ingenio editurus, se in locum lumbentissime, ex quo nulla exaudiri vox, nihilque propriei posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi: & quid alter ab isto, Buchnerus, egit aliud, qui, quoties ardua ac altioris indagines res curande erant, in rufulum suum, ex urbe, tanquam ex tumultu, evolavit, ac ibi aliquantisper cum delituissest segregatus, reversus, illo, quale pietas ipsi, Poeta ac Oratori, imposuerat, quodque affectus urgebat, officio egregie semper functus est, publice tandem, arque in ipsa celebritate, mira promens facundia, qua tacitus, in soliditudine condita, chartis mandaverat. Carminibus secundum suis optat Ovidius, L. I. Tr. El. 13, falsè L. II, Sat. 6, perstringit Horatius, qua multis delicia videbantur, Urbis ineptias, solusque sibi, extra candem, ingenii vacans laboribus, placuit, L. II. Ep. 2; & quam Romæ non poterat, Aeneas, Athenas profectus, ut Donatus refert, quiete ibi opere tanto digna usurpus, absolvit, contubernialis istius amicissimus, Mario. Secessum huic adjungimus *Otiosum*, ubi quidem non ardua ista negotia, qua viros domi sunt occupant semper publicis privatisque curis disstentos, continentur, sed alia tamen, quorum sine vitiis constare posse ratio, peraguntur. Rerum namque omnium, si vel jucundissimæ esse videantur, ac utilissimæ, aliquod tandem vel obrepit tardium; vel ipsa contentione vires, tametru voluntas non deficiat, atteruntur: proinde si non tam quies, quam vicissitudo aliqua interdum interponatur, ac homini suo rure ingenio arbitrioque uti aliquandiu licet, id ipsum pro remissione ac voluptate quadam eidem esse posse. Eo enim prior non evanescit virtus tempore, sed moderata reficitur opera, & hac medicina si acquiescat corpus, ipse non minus animus spirare posse liberius, ac incitari. Quos vero cum ipso otio flegnities incésit, cum virtutis studio nuntium maxime miserint, tanquam viriorum mancipia, libertatem, una cum dignitate, amittunt suam, vix magno deinde conatu recuperantur, quod per ignaviam abjecunt. Itaque honestum illud otium in eo veritut, si quis spiritu solituore, ingenio libero & vacuo, res animi magis causa, quam ex legum prescripto & imperio agat, sed ita, ut hoc non deserat unquam, nec istius puritatem, in qua omnis hominum præstantia continetur, prodat temere. Exemplo esse posse Plinius Secundus, quo nemo fere melius orium suum disponere valuit, atque accommodatus. *Tunc,* inquit ille, *sabit recordatio, quo dies, (in turba) quam frigidit rebus absunget, quod evenit mihi, postquam in Laurentino meo, ant lego aliquid, aut scribo, aut etiam corpori vaco, cuius futuris animus susinetur. Nihil audio, quod audisse, nihil dico, quod dixisse penitent.* Nemo apud me quenquam scilicet sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi unum me, cum parum commode scribo. Nullus spes, nullus timor, nullus sollicitus, nullus rumoribus inquietor, mecum tantum, & cum libellis loquor. O reclam sinceramque vitam! O dulce otium beatissimumque ac pene omni negotio pulchrius! O mare! O littus! verum secretumque *μαστορῶν*

quam multa invenitis, quam multa dictatis! L. I. Ep. 9. Atque idem quemadmodum illud tam per existentem in Tuscis, quam per hiemem in Laurentino exegerit orium suum, accurassime in L. V ep. 36, & 40, exposuit, ubi quidem ipse illud Attilii sui dictum eruditissime & facetissime prolatum fecutus est: *satus est, otiosum esse, quam nihil agere*: vel P. Scipionis: *nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset.* Cic. Offic. L. III. Maxime vero tempore feriarum, vel aestus fallendi gratia, iste secessus quasitus est. Ita Gellius cum Antonio Juliano, Rhetore, eo tempore Neapolin secessit, juvenesque loquendi facultatem perorando declamandoque sibi effecturos, ibidem aufculavit; N. A. L. IX. c. 15. Horatius, aut Homerum apud Prænestinos, caniculam vitaturus, legit, aut Platoni, ac veteris Comœdiae scriptoribus, Menandro, Eupoli, Archilocho, quos velut comites, vel stipatores secum habebat, operam dedit, L. II. Sat. 3. Posthac *Mestus* datur secessus, quem non tam querunt, qui anguntur, ubi gracentur, ac libidinum, quam dolorem potius illum, qui animum coquunt, evomant, vel medicinam adhibentes allevent, vel lacrymando despument, vel tempore dato superent. Tam firmus enim, quin & hic eum aliquando affectus incedat, nemo est; nec sane, dum homines sumus, eo, quod ad humanitatem pertinet, superfedere prorsus licet: sed cum nec iste testes ubique, per quos prodatur illud, quod sibi inde contigit minus decoro, amet, nec, illi si adsint, dolor ita dissimileetur, quin aliquando appareat: in ista soliditudine, quasi frenis laxatis, iste alias facilius, alias etiam difficilius, nec sine saepè omni periculo solvitur. *Ego autem, morte Tulliolar sit prostratus, inquit, Cicero, volo aliquid emere latibulum, perfugium doloris mei.* Hoc nactus, ita scribit ad Atticum Lib. XII. Ep. 14 & 16. in hac soliditudine careo omnium colloqui: *cumque mane in silvam me absructus denjam & aspergam, non exeo inde ante vesperum.* Secundum te nihil est mihi amicus soliditudine. In hac mibi omnis sermo cum literis; cum tamen interpellat stetit, cui repugno, quoad possum, sed adhuc parer non sumus. Nec tamen haec ejus vita & luctus pariter, eti fortunam ille suam tecis ac tenebris premi volebat, ab omnibus probabatur: quare, ut eum reduceret, summa ope L. Luccejus contendit, in hunc sensum locutus: *Quid enim? tu solus aperta non videbis, qui propter acumen occultissima perspicis?* tu non intelliges, te querelis quotidianis nihil proficere? non intelliges duplicari soliditudines, quas elevare tua te prudentia posulat? Quod non possumus aliud proficere scadendo: *gratia contentimus, & rogando, si quid nostra causa vis, ut iis te molestissim laxes, ad convictum nostrum redeas,* & ad conuentum, vel nostram communem, vel tuam solius ac propriam. Capio non obtundere te, si non delectare nostro studio: capio detergere, ne permaneas in incepto, cum due res istae contraria me conturbent: ex quibus aut in altera mihi velim, si potes, obtemperes, aut in altera non offendas. Ep. Fam. L. V. 14. Ibi autem quam proclivius sit offendere, quam dolori temperare, suo ipse exemplo Augustus comprobat, quem Variana, in Germanis, pene extitibili, tribus legionibus cum duce legatisque, & auxiliis omnibus casis, accepta clade, adeo consernatum fuisse ferunt, ut per continuos menses barba capilloque submissio, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quinctili Vare, legiones redde.* Svet. c. 23. Addimus istis secessum *Necessarium*, quem fata imponunt adversa, vel publice, vel privatim incumbentia. Posit ille esse vel *voluntarius*, vel *imperatus*, & pene, ac animadversionis. Hic relegationem continet, ac *deportationem*. Istam Juris Consulti dicunt, cum in insulam, vel in alium locum, ad tempus, quod non ultra decennium facile durat, aliquis mititur: hanc, qua eadem conditione, sed amissio civitatis jure, in perpetuum sanctatur. Freh. de Infam. L. III. c. 7. p. 13. Lauterb. Comp. Jur. Tit. de interdict. relegat. Sic M. Lepidum Collegam Augustus, quem ex Africa in auxilium evocaverat, superbi entem XX legionum fiducia, lummasque sibi partes terrore ac minis vindicantem, spoliavit exercitu, supplicemque, concessa vita, Circieios in perpetuum relegavit. Filiam idem ac Neptrum, omnibus probris contaminatas, ac istam quidem in insulam Pantalariam, hanc in Trimerum, haud procul ab Apulis littoribus, ablegavit. Svet. c. 16 & 65. Tacit. L. IV Annal. c. 71. Aliis pene locum ipsam Romanum, novo exemplo, (quod tamen jam ipse Regum sapientissimus Salomo in Semejo maledico, 1 Reg. II. v. 36, 37, constituerat,) dixit Claudius, quos ita relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab urbe. Svet. c. 23. Alii, quos non imperium aliquod, sed necessitas, aequa dura, ut nolementes volen-

volentesque abeant, concitat; qui malis, ubi possint, ne per ea periclitentur, ipsiusque  
falsitatis vel capitis discrimen adeant, tantisper caue se quando subducunt, in angulo quo-  
dam, quasi in portulatent, donec isti ejus tempestatis fluctus deserviant, aut aliqua spes  
securitatis & quietis melioris afulgeat. Sed quosdam ad hanc secedendi necessitatem  
culpa sua, & delicti conscientia, compellit, alios invidia, alios casus, alios infesta religioni,  
ac virtutibus, qua homines cum iisdem viventes haud ferre possint, tempora, aliaque, adi-  
gunt. Ipsam per tot secula in desertis, in speluncis, petris, silvisque verana latuisse Ec-  
clesiam, ipsoque satishabuisse Christianos, si isti latibulorum praefidii teuti, hymnum  
carmenque Deo suo canere, vel etiam ad ipsa sepulchra, qualicumque modo, sine omni  
pompa & apparatu, litare possent, in comperto est. Est iten hoc tam magnis liberisque  
civitatis, quam tyrannis, commune vitium, ut ipsius gloriae invidia comes sit, & quos  
autoritate eminere videant, de his non detrahant modo, sed etiam eos, vel de gradu suo  
dejici, vel inter omnes mortuos esse amandatos, cupiant. Id circa nec Chabrias quoniam  
Atheniensis libenter ante oculos fuit civium fluorum; hinc Conon plurimum Cy-  
pri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigao, quod tantum se ab  
invidia putabant futuros, quantum a conspectu suorum recessissent. Corn. Nep. Chab. c. 3.  
Scilicet, si astidui in oculis hominum sint, eam rem minus verendos magnos saepe homi-  
nes, ipsa saceritate, facere, monet Livius L. XXXV, c. 20. Ipse Julius, absolufo, quem accusa-  
verat, Cornelius Dolabella, consulari & triumphali viro, Rhodus secedere statuit, & ad  
declinandum invidiam, & ut per orium & requiem Apollonio Molonis clarissimo tunc  
dicendi magistro operam daret, Svet. c. IV. Hujus iras, qui victo Pompejo rempublicam  
occuparat, metuens M. Marcellus, Mitylenas concessit, in literis uti se abderet ibi:  
quem tamen honoribus suis senatus & amicorum restituit deprecatio, mire ob id Cicero-  
ne letante, L. IV Ep. 7, 8, 9. Inprimis sub Nerone ac Domitiano, Principibus, vel beluis  
potius sangvinariis, nomen ingens parvae virtutes fecerit regi opus erat, qua tempesta-  
tis latere & ignorari, inerremque & segnem esse, maximum præstantissimumque fuit præ-  
sidium. Ipse Galba cum in Africa & Germania ob res olim egregie gestas ornamenta  
triumphalia, & sacerdotium triplex accepisset, ac inter XV Viros, fodalesque item Ti-  
tios ac Augustales cooptatus esset, quasi fortuna diffidens, ex eo tempore prope ad me-  
dium Neronis principatum in secessu plurimum vixit, ac tametsi reverteretur, & signa  
haud ambigua summi imperii ostensa essent, tamen per legem, quam sibi ipse, ut hiemem  
istam evitaret, rogabat, paulatim in segnitatem desidiisque conversus est, ne quid mate-  
ria præberet Neroni, &, ut dicere solebat, quod nemo rationem otii sui reddere cogeret.  
Svet. Galb. c. 8. Isto autem quam favor longe Domitianus fuerit, & quanto, eo impe-  
rante, cum periculo, boni Romæ viri, ipsæque matronæ, in ejus conspectu vixerint, Ta-  
citus passim testatur. Nero nempe subtraxit oculos, jussitque sceleram, non speleavit: precipua  
sub Domitiano miseriorum pars erat, videre & aspici, cum suspiria subscriberentur, cum denotandis  
totum hominum palloribus sufficeret sevus ille vulnus, & rubor, a quo se contra pudorem munitebat.  
Vid. istius Vit. Agric. c. 45. Cælares pariter, quibus propter virtutes suspectus invisus  
que erat, Virginius Rufus, Consularis, quique imperium iterum iterumque a militibus  
sibi delatum recipere noluerat, effugit feliciter, Vid. Plin. L. II. Ep. LIX, 19: non potuit,  
si vellet Agricola, cui gloria sua, & pessimum inimicorum genus, laudando maxime, ob-  
stabat. Qui, cum in Britannis esset, vitam suam teclam sartamque habuit; sed Roman  
reversus, honores sibi delatos seu capeſſeret, seu etiam declinaret, tamen, quoniam priva-  
to major, suisque omnibus meritis charus erat ac venerabilis, atque ob illud Domitiano  
timendum videbatur, nulla quadam culpa sua, extinctus est. Vid. L. c. Isti vero omnes cum  
secessum querant amentaque Temporarium; alii contra sunt, qui eam per inducias modo  
acqüilatam quierunt, si non improbent, tamen Perpetuum illum suis votis expetunt,  
eoque obtento, se veram istam, quæ metus ac turbarum expers sit, vitam nactos esse arbit-  
rentur. De his, qui solitariis seſe per omnem fere vitam dedere velint speculacionibus,  
alias actum est: sed duplex, præter istos, hominum genus hunc vivendi morem sequi vi-  
deatur potissimum; quorum alii voti religione adiberti segregem vitam in monasteriis,  
sib ratione divini cultus, affectant: alii vero subinde, spatium illud avi superioris, qvod  
laboribus pro patria exaurientis destinatum erat, non sine approbatione emensi, fie-  
atatis vacazione usuri, sibi solis, relinquvi gestiunt. Iustum secessum Ecclesia totos fere tre-  
centos

centos annos, ut Hieronymus ipse in vita Hilarionis docet, ignoravit: quodam vero et  
tempestate, vel periculorum communium metu, vel quo eo accuratus ad tempus aliquod  
pietati dare operam, vel etiam ad curandum aliquanto melius munus sacrum paratores  
accedere possent, in solitudine veritatis esse, nec vituperandum, neque etiam magno adeo  
opere laudandum est. Verum, si quidam ex illis veteribus ibi haberunt perpetuo, soli con-  
templationi dediti, inque numerum ministrorum Ecclesiarum cooptari noluerunt, illi, ex fena-  
tentia Theologi summi H. Hoeplieri, in Saxon. Evangel. p. 353, plus Zeli, quam scientiarum  
habuerunt, quia Deus etiam amandus est per proximum & in proximo. Postquam vero  
meritum inde aliquid, ac immensam quandam prerogativam sibi arrogare, qui sic vivunt,  
ceperere homines, eo quidem magis eorum causa dubia & sublesta facta est. Quibus ita-  
que missis Senes tandem consideramus, qui, omnibus per omnem fere vitam superiorem,  
quibus distingebantur, laboribus exantlati, dum viribus, quia ad eosdem afferenti erant,  
deficiuntur, se ferme onerit tanto, ipsa non tam svadente, quam cogente senectute, subducunt  
uti prius, quam animam reddant, respirent, atque intercedente aliqua inter negotia & mora-  
tem mora, eo paratus tranquiliusque ultimum istum finiant actum, illudque fatale Plau-  
dite! audient. Recte enim sapientes praecipiunt: homines in freto vivere, in portu au-  
tem mori debere: illud integra arata & vigore curandum; suendum, inque negotio, ex  
quo fructus aliquis possit esse publice magis, quam privatum, strenue versandum: sed his,  
qua persona cuique imponebat sua, peractis bene, non de alia magis re, quam placida mi-  
gratione cogitandum esse. Namque & prima, Plinius noster, L. IV. Ep. 23, videlicet, inquit,  
*tempora, & media, patrie, extrema nobis impertire debemus, ut ipse leges monent, que majorēn annis*  
*sexaginta otio reddunt.* Scilicet alia artas ad actiones honestas nos preparat, alia agit, alia  
re bene gesta latatur. Hinc Vairro apud Censorinum de Die Nat. cap. XIV, juvenes Ro-  
manis ab anno trigessimo, usque ad quadragecum quintum, dictos statuit, quod tum ju-  
vari eorum opera respublica in re militari maxime posset: inde, usque ad sexagesimum,  
seniores, & post deinde senes, quod tum cum primis senio labore corpus, & eari in finem  
sum. Iste proinde, fortiter agendo, vitam, ante, quam senectus ingrat, consummare,  
& securam reliquam sui temporis partem expectare videntur: hic, eo, quod priores praef-  
stolantur, fruuntur, ipsorumque fecissus, non defidit, sed tranquillitatis nomen accipiunt.  
Haud aliter ipse sentiebat Seneca; sed reliqui videbantur obstat huic asserto Stoici, cum  
que horum scholam ille sequeretur, vel idem ipse, in libro de Orio Sapientis, hoc sibi objici  
posse haud temere existimat: *Dicēs mibi, quid agi Seneca? desérvis partes.* Certe Stoici ve-  
fri dicunt: usque ad ultimum vita suam in actu erimus, non defrancimus communī bono operam dare,  
adjuvare singulos, open ferre etiam inimicos, eniti manu. Nos sumus, qui nullis annis vacationem  
damus, & quod aut ille vir discretissimus: canitatem galca premimus. Nos sumus, apud quos nique  
eo nihil ante mortem otiosum est, ut, si res patitur, non sit ipse mors otiosa. Sed ad hoc respondet  
Autor ipse: *Hoc quod dico, in duas dividam partes.* Primum, ut possit aliquid, vel a prima etate  
contemplationi veritatis totum se tradere, rationem vivendi querere, atque exercere secreto. De-  
inde, ut possit hoc aliquid, emeritis jam stipendiis, profigata artatis, jure optimō facere, & ad alios  
actus animam referre: *Virginum Vestalium more, que annis inter officia divisi, discant facere sa-  
cra, & cum didicerunt, docent.* Neque vero lex ea sic rogata era, ut omnes eidem promis-  
scire obsequerentur, sed, ut uenias data, qui eadem uti vellet, ac posset, sua contentus esse  
posset conscientia. Idecirco cum ad senem jam Nervam imperium Romanum deferre-  
tur, tantum absuit, ut hanc ille conditionem aspernaretur, ut omnium potius securitatem  
quieti sua præserret, nova libenter beneficia collaturus, ac servaturus ante se concessa  
quod ipse in edicto suo, Plinio L. X. post Ep. 66. Docum. III, id referente, affirmit. Nondum e contrario hexagenarius erat Carolus V, Rom. Imp. sed  
omnem tamen humanorum laborum cumulum ante compleverat, quam ipse  
cumtis, quos gesserat, iisque summis, se abdicabat honoribus, ad D. Justi Hieronymia-  
num cenobium, delectam jam pridem sedem sibi suam, concedens, quo ipsum vallis ame-  
nitatis, collum circum adjacentium prospectus, ac salutaris, præcipue per hiemem, celi  
benignitas invitaverat. Vid. Fam. Strad. L. I. de Bello Belg. Otium suum ut magnus  
ille Imperator ibidem ordinaverit, nunc precibus vacando, nunc animo, & corpori, identi-  
dem langventi, ac hortulo colendo, nunc, magistro Janello Turriano, automatis, aliisque  
inge-

ingeniose rebus inveniendis ac describendis, omni reliqua mundi cura posthabita, intentus fuerit, idem Historicus c. l. commemorat. Antiquam in secessu vivendi quandam regulam Plin. L. III. ep. I. Spurinna Romanorum dicitissimi, inque ipsa senectute elegantissimi, & rebus olim in Transpadanis, atque adversus Bructeros, gestis clarissimi, exemplo declarat, quod quidem ita comparatum est, ut, cum ordine quodam, ac velut orbe omnia ille circumageret, jucunda & dulcia cum leriis utilibusque miscerentur, ac tam corpori quam animo satisficeret, seni adeo huic ipsi non posset non bene esse, ac aetate minoris hanc vitam sibi voto & cogitatione praesumarent, ingressuri avidissime, quam priuam ratio aetatis receptui canere effet permisura. Neque isti etiam senes emeriti, tametsi remotores agerent, curam simili omnem reipublica: atque amicorum neglegentiam habuerunt: consulti enim simpliciter responderunt, non confulti, tamen, qua saluti fore putabant, tranquillam & specula, adversa aetate ac secunda, providentes, ostenderunt, bonisque, eosdem commendando, adfuerunt, eadem Autore hoc testante, qui Virginius Rufum, maximum civem & perinde felicem, vel ex fecissibus ad omnes hoatores suos accurruisse ingenue profitetur, L. II. ep. I. Eandem quietem, in re tamen minus lauta Romanam, resque istas pertulsi, gente, ingenioque ac vena clarissimus Poeta anxie quarebat Statius, sed uxor, ut una iret, præparanda era, qua etiam eo ipsi libentius se dabat, quo eundem amat magis, quodque Neapolin abiturus erat, qua omnis tam amonitatis, quam eruditonis, Romanis maxime senibus appetitus, recte dicebatur domicilium. Vid. operum ejus L. V. Silv. 5. Ita enim & Strabo Geogr. L. V. rem exponit: Επίσηντοι δέ, ινqviens, την ἐν Νεαπόλει διαγωνήν την Εἰδονικήν οἱ ἐν της Ρώμης αναχωρήστε δεῦρο, ησυχίας κάριν τῶν ἀπὸ πανεύπειας ἐργαστησίων, οὐδὲ ἄλλως, διὰ γῆρας, οὐθὲν ποθεῖτεν ἐν ἀνέτοι ζῆν. Καὶ τῶν δὲ οἷοι καίροτες τῷ βίῳ τέττῳ, θεωρήστε τὸ πλῆθος τῶν ἀπὸ τῆς αγωγῆς ἐπιδημάντων ἀνδρῶν, σούσιοι φιλοξωρᾶσθε, καὶ ζῶσιν ἀντόθι. Tibur ut sibi, post emerita stipendia, continget Horatius optabat, L. II. Od. 6.

Tibur, Argio peſtum colono,  
Sit mea ſedes, utinam! ſenecte;  
Sit modus laſſo mariſ & viarum, Militiaeque.

Silius item Italicus, ita favidentibus amicis, novissime ab urbe secessit, ſequi in Campania tenuit, tam quietis ſua tenax, ut ne adventu quidem novi Principis Trajanii, qui videbatur ſalutandus, commoveret, anno tandem aetatis quinto & septuageſimo exacto, ex infan- bilis clavi ſadio, ad mortem eum ipſe decurreret, inedia vitam finiens. Plin. L. III. ep. 7. Fecerat hoc ipsum Democritus, apud Athen. Dipnos. c. 3; Iſocrates, de quo Plutarchus; Atticus item, apud Nepotem, c. 22, quibus fastidire extrema ſenectutis, ſique inutile corpus eſet ministerius, non expectare ſegne illud fatum, ſed animum intrepide labo- rantium educere, Stoicorum more, fuit in virtutibus. Sen. Ep. 58. Absum hæc a Christianorum pietate, ac meliore conſtantia, quibus religionis ſua præceptum hoc inſitum eſt, ut in omni fortuna, omniq[ue] aetate, ac omni eius conditione, Deo unice adhærent, contraque omnem malorum impetum bene muniti, durent ſemper, ac non, niſi hoc Imperatore vocante, de ſtatione ſua deceſtant, iſlam aeternam ſalutis & quietis arcem feliciffimam iniuriri. Ac nos veluti Senibus iſtis venerabilibus, quibus ſtantibus, bene- que de omnibus merendo, coronam, qua ipſis decreta eſt, circumſpicere atque praſto- lari placet, robur omne divinum, tanquam virtutis præmia prece noſtra nunquam non expetimus: ita & illis, qui otium ſibi deſtinant illud honestissimum, ac pie item ſe ex euriſ hiſce expedient, omniem tam animi tranquillitatem, quam corporis vigorem, ac dignam ipforum virtutibus & meritis fortunam, per quam bene aetate vita ſolatia omnia percipient penitus, exoptamus. Tandem vero & nos, exacta prope inter con- tinuos labores hac ſtate, ad fecellum Vos noſtrum, Patroni, ac ſtudiorum noſtrorum Fautores optimi, debita cura ſcholaſticum convocabamus, ut novellos quosdam pothæ etiam, ubi vacui aliiquid erit temporis, locuturos publice oratores audire dignemini. Aliquoties adhuc rogantibus nobis hanc egregiam dediſtis operam: quare, ne eadem abuſuri videamur, moram equidem nonnullam interpoſimus, ſed deauo nunc, ea cum caro

earere non possumus, venimus ad vos, utque antiquam istam novis beneficiis cumuletis gratiam, obsecramus. Durat, quod latet, cœtus hic juvenum recta studia amulantur; pia sunt, qua inde nomen & famam petere velint, ingenia; Deoque auctore ac prafide O. M. profectus amplificantur: itaque nec vester iisdem amor unquam deerit, nec ea, quam toties plenissimam experta sunt, hæsitabit in posterum, aut frigescat indulgentia. Exemplis, una cum præceptis, opus est juvenibus: sed vestris regi, ducique velint maxime nostri, qua etiam si ipfis audiendo frequentius accommodetis, hi, qui bona mente prædicti sunt, post Deum, qua affectu fuerint, vobis lubentissime debent. Siftent se illi, in quo vos velitis auditorio, ac suam quisque, cuius & ipse argumentum elegit, memoriter orationem, die sibi constituta, Deo in primis bono ac propitio nobis, recitatib.

### I. Laudandam sibi sumserunt

Joh. Samuel Læscherus, e Conradi vico,	Lingua Grecam;
Renat. Gotthard. Hæntzelius, Crummenhennersd.	Latinam;
Eman. Benj. Kempius, Wolkenstein.	Hebraicam;
Johann. Christoph. Fischerus, Clausn.	Gallicam.
II. Frideric. Wilhelm. Süßmilch, Coswiga Anh.	Fata D. Petri, apud nos, adi tristitia deplorabit;
Goth. Joseph. Læscherus, Dresd.	Mores cum literis conjungendos svadet;
Christoph. Goth, Mollerus, Freib.	Obsequium, honoris radicem ac fundamontum,
Christoph. Frider. Wissius, Freiberg.	predicabit;
III. Joh. Andr. Philippi, Hainens.	Nibil difficultus esse, ac imperare, dicet.
Frider. Merckerus, Hainens.	Eruditorum sjet delicias;
Joh. Christoph. Hohntritt, Freib.	Dictum Curtii L. VI. c. 3. expendet:
Joh. Henric. Knauthius, Hennerd.	Parva sepe scintilla contenta magnum excitavit
IV. Henr. Gottlob, Silbermannus, Risamus.	incendum;
Joh. Frider. Spilaeus, Altenburg.	Beneficia ut prudenter erogantur, svadet;
Joh. Gottlieb Glæsius, Pfaffrod.	Senece verba exponet: Turpe esse, aliud loqu,
Joh. David. Klugius, Alberthainens.	aliud sentire.
V. Augustus Benedict. Pipping, Dresd.	Delisia patris sapientem filium dicit;
Joh. Benedict. Nebius, Groshartmannsd.	Autoxepias crimen detestabitur;
Jonas Dachfelt, Freiberg.	Rhetoricam commendabit,
Joh. Samuel Grubelius, Freiberg.	Logicam,
VI. Fridericus Ernest. Richter, Freiberg.	Rem bene deliberatam non cunctando evertent;
Joh. Christian. Leipoldus, Frauenstein.	dam statuet;
Goth. Sigism. Richter, Altenberg.	aget de obsequio Tyrannis debitos;
Joh. Aug. Süßmilch, Coswiga Anhalt.	de Jure naturæ;
Plutarchus in Laconicis Apophthegm. p. 213. C. Edit. Wech. Interrogatus Agefilaut, quo quidem maxime pactio inter homines invenire posset nomen? respondit; si optima dicat, & pulcherrima agat. P. P. Freibergæ in Hermund. Prid. Caled. Septemb. A. S. R. c. 10. l. 27. cap. xxviii.	inquiret: an Simoni Mago Roma statua fuerit posita?
	de edificationibus sumtuosis loquetur,
	Constantiam laudabit,
	de amicitia in scholis inita;
	de Botanice studio ager.

H f  
1143

*De pueris et vita solitaria*

X 23A 6837

SECUNDVM DEI O. M. GRATIAM ET FAVOREM,  
 SVMME REVERENDI ATQVE EXCELLENTISSIMI  
 PRAESVLIS,  
**PROCERVM PARITER, PATRVM,  
 AC PATRONORVM**


OMNIS ORDINIS.

OMNIQUE CVRA ET RELIGIONE COELENDORVM,  
 INDVLGENTIAM, FACILITATEM, AVDIENDIQVE STVDIVM,  
 DISCPVLI QVIDAM OPTIMAE INDOLIS AC SPEI,  
 DILIGENTIAE SVAE, PERORANDO, SPECIMINA  
 QVALIACVNQVE QVOTMENSIBVS, VEL QVAN-  
 DOCVNQVE FIERI POSSIT,  
 PVBLICE AC MEMORITER EDITVRI,  
 HAC TABVLA  
 SIBI REVERENTER AC SVBMISSE EXPETVNT,  
 DEPRECATORE

**M. SAMVELE MOLLERO, G. F. R.**

FREIBERG AE,

Typis CHRISTOPHORI MATTHAEI.



Inches	1	2	3	4	5	6	7
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7
B.I.G.							

**Farbkarte #13**

